

intulit . . . , occurrit vehemens et ad causam P. Syllae salubriter pertinens virtus. Nam cum in praesenti executione testetur extinctis iam plurimis hostibus patriae superesse tamen innumerabiles, qui sibi nocere votis ardentibus cupiant, hoc sine dubio relinquit iudicium tacitis cogitationibus, numquam se ad defendendum Syllam processurum fuisse, si eum vel tenui aliquo argumento sensisse cum hostibus rei p. suspicaretur, cui minuendus esset illius coniurationis numerus, ne plures in posterum sibi reservet inimicos.

Quod cum is tribunus pl. facit, qui unus videtur § 31. ex illis ad lugendos coniuratos relictus, nemini mirum est; difficile est enim tacere, cum doleas.

Insectatur invidia maiore Torquatum et, cum sit ab illo ipse reprehensus quasi mutato proposito voluntatis, qui Catilinae oppresserit coniurationem, reis tamen eiusdem criminis patrocinetur, versa quodammodo vice ipsum Torquatum quasi defensorem coniurationis insimulat et dicit imitari eum tribunum pl., qui moleste poenas hostium publicorum ferat. Significat videlicet L. Calpurnium Bestiam sive — nam et hoc suspicari possumus — Q. Metellum Nepotem. Post quod exemplum . . . in fine sententiam posuit, quod genus in Tullianis orationibus rarum est. *Difficile est, inquit, tacere, cum doleas.* Dolor enim quibusdam tormentis animi laborantis effusus ad impatientiam vocis erumpit.

Qui filium suum vita privavit, ut in ceteros § 32. firmaret imperium.

De familia Torquati mutuatur exemplum, quo validius ad consensum redigeretur, puniendos ab re p. fuisse hostes intra moenia deprehensos, cum per contextum sui generis recordaretur extitisse, qui filium capite puniret. Et hoc